Numerus 9-10 - Anni III
Novemb.-December 1926

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

Ephemeris menstrua nostris Directoribus Congregationum B.M.V.

Oblata a Secretariatu Centrali Congregationum B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

LECTORIBUS PL. S. I. DOMINO.

Dolentes sane, RR. PP., ac moerentes audistis, editorem A. O. officium esse depositurum. Quo ardore, quo fervore, quo amore, qua fecunditate, qua facundia, qua elegantia styli sodalitates marianas promovebat! In se augeri animum ad opus congregationis quis non sentiebat qui attente A. O. legebat? Neminem fugiebat editorem esse virum apostolico zelo, amore B. Mariae Virginis et Societatis Nostrae plenum; eum frui et notione de congregatione mariana clara et experientia practica. Unde mirum non est incrementum quod P. Bangha impellente congregatio B. M. Virginis in variis, etiam dissitis regionibus sumpsit.

Quare omnes, nonne, quotquot sumus lectores A. O. toto ex corde gratias agimus quam maximas carissimo P. Bangha pro labore suo egregio. Preces lubenter pro eo fundimus et dulcissimam Matrem Nostram Mariam enixe rogamus, ut ei abundanter benedicat.

Simul vero a P. Bangha nostro petimus omnes, ut A. O. eminens collaborator ordinarius et amicus maneat inter omnes addictissimus.

Novus Editor rogat, ut omnes RR. PP. opere suo frequenter utantur ipsumque adiuvent orationibus, consiliis, animadversionibus, votis, relationibus, lucubrationibus de re nostra tum theoreticis tum practicis. Tantummodo viribus in unum collatis omnino omnium quorum interest, obtinebimus, ut congregationes marianae *ubique* terrarum fiant id quod ex toto animo desiderat A. R. P. N.: potissimum et potentissimum iuxta Exercitia spiritualia etiam moderno tempore auxilium, Societati a providentia et bonitate divina speciali modo traditum, ad salvandos homines quam plurimos, ad amplificandum et profundius animis inculcandum regnum Divini Servatoris Nostri Iesu Christi.

Quod ut quamprimum fiat, materno suo amore omnes nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Albertus Boegle S. J.

De Officio Praesidum Congregationis Marianae.

Auctore P. Jacobo Bús (prov. Hungariae).

Fontes ex quibus officia Praesidum determinari possunt, sunt documenta Romanorum Pontificum pro Congregationibus edita, necnon instructiones et statuta Patrum Generalium S. I. et consuetudo adprobata.

Officia autem dicta fontibus nominatis non tam formaliter et explicite, quam implicite et virtualiter continentur; etenim saepe numero iura Praesidum tantum enumerantur, ex quibus officia correspondentia erui possunt. Eo minus possunt ibi inveniri officia simulsumta et in ordinem redacta.

Fundamentum quoddam principale praebet ad officia ista declaranda, bulla "Laudabile Romanorum Pontificum" Benedicti PP. XIV (15 febr. 1758), quae ea, quae iam Pontifices praedecessores statuerunt et latius declararunt, breviter et clare se-

quenti modo proponit: " Congregati seu Confratres... Praeposito Generali pro tempore existenti dictae Societatis seu pro eo Directoribus ab ipso assignatis et assignandis *in omnibus* parere, obtemperare et subesse teneantur; ad ipsummet Praepositum Generalem seu ab illo deputatum... legitime pertinet regulas, statuta et decreta condere, facere et statuere..., quae quidem... ab ipso Praeposito Generali vel a Directoribus ab eodem deputatis, variari... possunt..., illaque Congregati seu Confratres inviolabiliter observare tenentur ".

Ex his iam evidenter constat Directores habere facultatem pleniorem dirigendi, gubernandi et administrandi Sodalitatem suam, tam in spiritualibus, quam materialibus, imo quandam facultatem leges speciales, statuta et decreta condendi, utique salvis legibus generalibus et cum dependentia a legitimis superioribus eorumque instructionibus.

Cum igitur in Sodalitate omnia ab arbitrio Praesidis dependeant, manifestum est eius officium esse sive immediate sive mediate omnia dirigere, gubernare, statuere, administrare. Sine ipso, idest sine ipsius suggestione vel adprobatione nihil in Sodalitate legitime fit.

Haec autem tam in statutis Praepositorum Generalium S. I., quam ipsa consuetudine legitima saepe amplius declarata fuerunt.

Ut autem exinde officia Praesidum simul collecta et in quodam ordine digesta habeamus, sequentia capita officiorum enumeramus.

I. Officia Praesidum Congregationis in genere.

1. Praesides ante omnia clarum et exactum conceptum dc Congregatione sibi acquirant.

Proinde de fine, constitutione, legibus et de modo gubernandi rite instruantur. Sodalitates inde ante omnia detrimentum capiunt, quia vel ipsi Praesides imperiti munus suum suscipiunt.

Alia ex parte, cum aptae instructiones haud inveniantur, eiusmodi instructiones pro Praesidibus quam primum conscribendae essent.

2. Directores aestimationem sibi acquirant de Sodalitate ita, ut magni faciant eam et maximi momenti institutum esse iudicent.

Proinde saltem brevem historiam Sodalitatis notam habeant; legant de fructibus uberrimis, qui ope Sodalitatum consequuntur.

Saepe auditur a Praesidibus, Sodalitatem iam haud esse aptam ad difficultates saeculi superandas. Num si ipsi Praesides sic de Sodalitate iudicant, potest aliquid boni sperari?

3. Spiritum genuinum Congregationis sibi acquirant et diligenter constanterque foveant.

Proinde pietatem intensiorem erga B. V. Mafiam habere studeant. Insuper Directores vitae christianae perfectioris studiosos et zelo apostolico inflammatos esse oportet. Quomodo enim in his rebus sodales dirigent, gubernabunt et inflammabunt, si vel ipsi in iis deficiunt.

Unde Directores ad excelsum munus se piis operibus et sacris exercitiis in hunc finem susceptis praeparare deberent, vel saltem conferentias habere, uti magna cum utilitate alicubi eiusmodi conferentiae post sacra exercitia habentur.

4. Ut tandem forma gregis suae sint, totam Congregationem cum omnibus suis negotiis magno animo amplectantur.

Sicut anima totum corpus vivificat, ita et Praeses Sodalitatem suam cum omnibus huius partibus et omnibus negotiis animare et informare debet. Sed sicut anima omnia per membra et in membris efficit, ita et Praeses fere omnia mediantibus Sodalibus efficere conetur. Quidquid sine Praeside fit in Sodalitate paulatim in detrimentum Congregationis cadit. E contra, si Praeses omnia immediate facere vult, Sodales tepescunt.

II. Officia Praesidum in specie.

Officia Praesidum specialia in duo capita reducuntur: 1. sunt ea, vi quorum spiritum genuinum Congregationis procurare, fovere et conservare tenentur; 2. sunt ea, vi quorum disciplinam strictam in Congregatione promovere obbligantur.

1. Iam circa primum sequentia officia enumerari possunt.

a) Directorum officium strictissimum est sodales allocutione et exhortatione ad vitam perfectiorem animare.

Si praesides hoc suum munus prae oculis habent, nunquam materia apta allocutionum deerit; nam ut sodales in vita perfectiori proficiant α) instrui debent de fidei veritatibus, remotis dubiis et difficultatibus obviis, necnon de fine, constitutione et mediis Congregationis, β) inflammari debent ad cultum specialem B. V. Mariae, γ) introducendi sunt in vitam spiritualem perfectiorem, δ) speciali cura fovendus in iis zelus apostolicus.

Iam facile inde patet, non licere hoc munus aliis committere nisi per exceptiouem. In congregatione aliqua sodales habent successive allocutiones, alibi invitati hospites, qui apparatu magno sermonem faciunt, sed certe his officio Praesidum nullomodo satis fit.

b) Directores non solum publica allocutione, sed etiam privata tenentur spiritum genuinum in sodalibus alere.

Ideoque nomina sodalium conscripta habeat, ubi necessaria adnotare potest. Sodalibus occasionem praebeat ad colloquendum de rebus spiritualibus.

c) Directorum est exercitiis spiritualibus sodales excolere.

Hoc autem munus iam per alios rite exercere valent.

d) Maximi momenti officium Praesidum est curam habere, ut sodales virtutes solidas sibi acquirant.

Inconstantia, quae in Sodalitatibus apparet, declarat non fuisse sodales in virtutibus rite exercitatos.

e) Sunt adhuc alia, quae huc spectant, sed sufficiat solum attingere *fraternam caritatem, quam Praesides omni meliori modo inter sodales promovere tenentur.*

2. Ad secundum caput spectant officia, quibus disciplina et ordo in Congregatione promovetur. Eiusmodi sunt:

a) Statuta specialia circumstantiis sodalium accommodata condere, si nondum talia adessent, et si iam eiusmodi praesto essent procurare, ut diligenter observentur.

Sodalitas nunquam certum et fixum vivendi modum acquiret, si singuli Praesides neglectis statutis specialibus de novo omnia incipiunt, acsi praedecessor prorsus nihil fecisset.

b) Directorum munus omnino proprium est sodales prudenter admittere et indignos caute dimittere.

Non videtur prudens esse admissionis modus, quo quisque, qui exoptat, indiscriminatim admittitur; Sodalitas enim non tam sodalium numero, quam eorum virtutibus excellebat et magnalia efficiebat. Sodalitas, quae indiscriminatim admittit et indignos tolerat iam in defectibus propriis emendandis vires exhaurit et vix aliis ad extra prodesse potest.

c) Directores debent officiales bene instruere et animare, ut officiis suis diligenter satisfaciant.

Unde post vel ante conventum cum officialibus de muneribus eorum agant.

d) Directorum est invigilare, ut sodales, qui semel Congregationi nomen dederunt, nunquam ab ea separentur.

Ergo in libris Congregationis nomina sodalium scripta inveniantur; discedentibus litterae patentes dentur; legitime absentes identiden litteris animentur.

e) Directores debent curare, ut sodales conventus diligenter frequentent, in sectionibus et academiis cooperentur etc.

Haec autem omnia, sicut iam notavi, Directores fere semper per officiales faciunt.

Ut autem ad caput totius negotii redeam, ex omnibus his allalis constat quanti momenti sit officium Directorum in Congregatione. Huc spectat, quod P. Vitelleschi, Gen. S. I. (d. 8 oct. 1631) scribit: " ut primaevus vigor retineatur Congregationum... vehementer hortor, ut in officiorum distributione prima sit huius cura; ut non cuilibet qui forte postremus in ministeriis obeundis et reiectoneus videatur committatur illud, sed omnino optimis." Et P. Retz, Gen. S. I. (d. 18 ian. 1749) praecipue iniunctum esse voluit Superioribus, ut Sodalitatibus moderandis neminem praeficiant nisi cum exquisito delectu... ne forte Directorum socordia vel negligentia intereat fructus animarum, qui hactenus perceptus est.

Igitur constituantur Directores apti; sed et illorum officia clare determinanda sunt et tandem ne sibi relinquantur, sed a legitimis superioribus dirigantur. Cum aptis Directoribus vigor primaevus Congregationum redibit ad maiorem Dei gloriam.

(Rogamus Praesides, ut de hac materia gravissima optime hic tractata sententiam suam dicant. Ed.).

Epistola ad Editorem.

Reverende in Ch. Pater.

In congregatione studiosorum quae mihi ante breve tempus concredita est, varia impedimenta progressus invenio. Primo, sodales numero vix sunt 12; candidati vero fere 30. Nullus horum omnium in scholis eminet, e contra aliqui minoris indolis, parvi successus sunt. Optimi fere quique studiosi nomen dant non congregationi marianae, sed alicui ex organisationibus iuventutis modernis, ubi v. gr. multa exercitia gymnastica, sport, deambulationes similiaque frequenter sunt in usu. Unde fit ut multi parentes et professores has organisationes magno favore prosequantur, minime vero sodalitates nostras. Illi gaudent variis instrumentis sportivis et musicis, oblectamentis puerorum, et, quod caput est, aulis, cubiculis aliisque locis quibus pueri converire solent ad ludendum. Nos vero simile quid non habemus. Quare sodales tantummodo ad sacellum concurrere et vix in sacristia inter se vel cum praeside verbulum submissa voce miscere possunt. Tandem, ipse praeses antiquus tot aliis occupationibus detinebatur, ut vix tempus haberet dandi se ipsum curamque suam sodalibus suis; neque ego ipse video quomodo equidem aliter faciam. Nihilominus maxime incumbere vellem, ut congregatio studiosorum floreat et crescat et quoad spiritum et quoad numerum suorum membrorum et ut tribuam, quantum in me est, ut congregatio non solum apud pueros sed etiam apud eorum parentes et professores, imprimis vero apud sacerdotes saeculares iterum quam maxime aestimetur, a quibus plus semel audivi: vos iesuitae ipsi parum facitis congregationes et aliis vos datis operibus iuventutis; quomodo ergo vultis, ut nos aliquid speremus a congregatione mariana?

His in circumstantiis, quid agendum videtur tibi, Pater Editor?

Responsum Editoris. Certe, veras difficultates in dirigenda congregatione R. V. perscribit; difficultates quae alibi quoque inveniuntur; quaeque saltem bonam partem superari queunt.

Primum quod semper, sed prae ceteris apud iuvenes studiosos maxime necessarium duco, est iucundus et amabilis cum pueris agendi modus qui in ipsis fiduciam excitat et persuasionem, praesidem eos amare, seriam et omnimodam curam de ipsis gerere, seque, tempus suum et omnia quae habet, ipsis laeto animo sacrificare. Quod cum alibi vix inveniant, iam habes " medium attractionis „ optimum solidumque. Utique superioribus rem explanare oportebit, si nimis aliis rebus detineris. Puto, non esse in Societate superiorem qui permittat in domo sua pessumdari congregationem marianam ei praeferendo alia munia; et praeprimis ubi agitur de congregatione studiosorum ex scholis publicis, ut in casu. Ideo certum habeo, superiorem simul cum R. V. omni conatu contendere, ut adaptetis, sive domi sive alibi cubiculum vel aulam, ubi sodales ante et post exercitia praesente R. V. inter se amice colloqui et ludere vel legere possint, ubi etiam aliis temporibus convenire possint sive ad studendum sive ad academias parandas etc. Absque tali aula vel cubiculo fortasse non omnino facile retinebis pueros in congregatione quia aliqui forte opinantur, congregationem nihil esse nisi piam confraternitatem qualem adolescens minime amat. Deambula cum sodalibus saltem hinc inde: praesertim iuniores attrahes. Novimus praesides qui per annos cotidie 3–5 horas p. m. sodalibus studiosis impendebant et impendunt, eorum lusis invigilando eosque adiuvando in studiis; et congregationes florent quamquam ab organisationibus modernis impugnantur.

Quae de cetero non sunt timendae. Nam si non sunt revera bene organisatae, vix diu vivent; secus vero indigebunt fermento quodam quod aut ex congregationibus trahunt aut formant in sinu suo modo congregationis, sed absque " nota mariali „. Et haec praecise nota, hic character specialis congregationis attrahit pueros. Si R. V. inflammat corda sodalium amore solido erga s. Dei Matrem, cui libenter litent, certo certius etiam optimi quique studentium affluent ad Congregationem (*). Et mox congregatio magni fiet apud omnes.

Ceterum censeo congregationem tuam non esse in statu pessimo; quonam tum fieret, ut tot candidati tam paucis sodalibus se adiungerent? Quare macto animo esto; repella, quaeso, R. P., pessimismum omnem quia est quasi virus aut plumbum, et laeto animo firmaque voluntate labori te des: mox gaudio afficieris contemplando numerum, virtutem et fervorem sodalium tuorum studentium.

(*) Etiam tunc quoque, si nullum recreatorium habetur. Novimus Patrem qui totus vixit pro sodalibus, quos constanter adducebat ad S. Virginem tali successu, ut sodales 250-300 numerarentur, in varias sectiones iuxta aetatem segregati; idque absque aula vel simile quid obtinuit. Ceterum vide A. O. I, pp. 21 et 33; II, p. 75; et Acta Conferentiarum Moderatorum Cg., 1922 Romae habitarum."

Praesides defuncti.

Prov. *Austriae* plures praesides egregios dolet. Anno elapso, 26. I. 1925, obiit P. **Franciscus X. Schwärzler**, 84 annos natus, bis provincialis. Non facile invenies praesidem tam benignum et affabilem, tam fervidum, genuina notione congregationis, dexteritate in educandis sodalibus pollentem sicut hunc Patrem. Conscripsit etiam librum multarum iam editionum: Sodalis Marianus.

Die 3. VI. 1925. P. Schwärzler in meliorem vitam secutus est P., qui simul cum eo in eadem domo Viennensi per annos congregationibus virorum operam navaverat cum splendido successu: P. **Carolus Leifert**, etiam ipse provincialis (1919-24); 60 an. n. Nullam sectionem in congregationibus suis instruxit, cubiculo vel aula recreatoria minime gaudebat, et tamen congregationes floruerunt, praesertim illae studiosorum scholarum mediarum, universitatis, doctorum. Curam huius ultimae a Superioribus accepit ea intentione ut eam dissolveret, si numerus sodalium conventibus adstantium non augeretur. Sed auctus est iam altera vice quando 30 venerunt; proximo conventui circiter 40 interfuerunt, et ita porro, donec 80-100 venirent inter quos sacerdotes, professores, summi officiales et ministri status. Quod obtinuit allocutionibus diligenter praeparatis ingenio et conditioni sodalium adaptatis, cum fervore prolatis. Per 10 tunc annos (1901-11) huic sodalitati praeerat et hodiedum hi aliarumque congregationum suarum sodales gratissimi erga hunc P. sunt animi, multi praesertim sacerdotes ex congregatione sodalium studiosorum orti.

Sabbato Sancto 1926 evolavit anima P. **Francisci Boissl**, 71 an. n. Praeclarissimus orator saepissime in honorem B. V. M. verba fecit, proprio ardore inflammando auditores tum in aedibus sacris, tum in congregationibus, tum alibi. Variis congregationibus condendis auctor erat. Saepe per integrum mensem Maium Viennae, Pragae, Oeniponte... cotidie laudes marianas tam nitide et ferventer nuntiabat, ut amplissimae quoque ecclesiae auditoribus non sufficerent, quod ipse concionator filiali amore B. Virgini attribuit. Iuvenis adhuc sibi proposuerat Ss. Virginem affectu tenerrimo et valido colendam ut matrem et patronam, ad quam semper confugeret cuique alios quoque, imprimis pueros, adduceret. Cotidie rosarium et rosariolum in hon. Imm. Conc. recitabat; diem sabbati, mensem maium, festa mariana peculiari modo peregit. Qua industria laboraverit disce ex his quae sequuntur: anno 1925, iam septuagenarius, habuit conciones 120, conc. mense maio cotidie, exhortationes in congregationibus 33, conferentias et sermones profanos 32, exercitia tradidit

decies per 3, bis per 5, semel per 8 dies; confessiones audivit 2000.

Die 23 Nov. h. a. Dominus ad se vocavit P. **Henricum Abel** 83 an. n., apostolum virorum Viennensium a 35 ferme annis. Auctor fuit viris Viennensibus peregrinationum ad B. V. M. ad Cellam (in Styria) quae per mox 30 annos multis occasio reconciliationis cum Deo sunt. Cotannis 1000-2000 viros ad istud sanctuarium duxit P. Abel. Strenuos collaboratores habuit sodales variarum congregationum quarum plures tum virorum tum matronarum et virginum ab ipso fundatae sunt. Optimos cooperatores habebat sodales congregationis mercatorum cuius fundator et moderator erat a mense octobri 1891 atque ad obitum. Ansam congregationem condendi saepissime ei praebebant missiones quas populo praedicabat. Fere semper primam congregationem virorum optabat, dicens: " aliae sua sponte ultroque sequentur. "

Iure merito igitur R. P. Hatheyer, praep. prov. Austr., defunctum vocavit " fulgens exemplar veri operarii S. I., magni zeli animarum, amoris erga viros omnis conditionis; exemplar praeclari operis in congregationibus, cuius recordatio semper nos convincet, vix aliquod efficacius inveniri posse medium in cura animarum quam solidum opus congregationis quo non solum vita christiana et perfectio singularium sodalium augetur, sed etiam omnes qui circa sunt religiose iuvantur. Si in aliqua parochia aliquae congregationes bene diriguntur, nihil timendum est de vita religiosa. Ideo praecise A. R. P. Generalis opus P. Abel tanti faciebat semper." Ita P. Provincialis.

Em. Card. Dr. Piffl pro defuncto die 27. XI. solemniter missam de requiem celebravit, absolutionem dedit in cathedrali sua ecclesia et ad sepulchrum, ad quod circiter 10,000 viri cum 300 sacerdotibus utriusque cleri eum comitabantur, seclusis feminis; ingens hominum multitudo vias, plateas, ecclesias ornavit; omnes sodalitates viennenses virorum saltem aliquos delegatos cum vexillo miserant, plurimae plenae aderant, et iure merito, nam magna earum pars ab ipso vel per ipsum fundatae sunt.

Congregatio in Seminariis *maioribus et minoribus* conservat, fovet et auget

1) vocationem sacerdotalem,
2) puritatem cordis,
3) pietatem mentis,
4) amorem B. Virginis,
5) abnegationem sui.

CONGREGATIO ACADEMICA BAIAE IN BRASILIA,

sub titulo Immac. Concept. et S. Joseph.

Ortum sumpsit festo Patrocinii S. Ioseph, 10 maio 1916, auctore P. A. M. Alves S. J. Septem fundatores initio multum irridebantur; fortes et animosi resistebant. Oppositio dilapsa; sodales numerantur 150; plurimi maioribus rebus praesunt; exempla clarissima vitae penitus catholicae praebent; multos homines languidos excitant, abripiunt. Ipsi professores universitatis palam dicunt sodalium laudes.

Academici sodales conveniunt quavis die dominica h. 7 1|2 in sacellum collegii S. J. Audito Sacro, in aula adsistunt lectioni regularum aut historiae congregationis et orationi P. Directoris de re ascetica, apologetica, sociali. Discussio sequitur. Tunc ientaculum commune eorum qui – multi esse solent – s. synaxim acceperant.

P. Praeses cotidie aliquas horas sodalibus retinet; h. 7 1|2 - 8 1|2 cum nonnullis ex optimis simul tractat iisque utitur quasi ut fermento totius sodalitatis.

Vita spiritualis omni vi promovetur. Maxima assiduitate sodales ad s. mensam accedunt, publice fidem suam profitentur. Multa pulcherrima dicta factaque narrantur in 648 paginis Annalium a. 1924 impensa publica editorum.

Fervor in vita spirituali ad sectiones condendas inflammabat. Gravissimus est " Circulus Catholicus studiorum iuventutis universitariae ", cui 24 ex notissimis professoribus academicis nomen dederunt necnon studiosi sat multi qui congregationi non adhaerent. Semel saltem unoquoque mense conveniunt ad conferentiam alicuius studiosi; sequitur discussio; ad finem P. Praeses iudicium fert.

Aliae sectiones sunt: catechisandi pauperes pueros; visitandi hospitalia; confer. S. Vincentii de P ; apostolatus orationis; exercitiorum; commercii epistolarum cum aliis congregationibus; etc. Unum opus peculiari mentione dignum est: Pensionatus Marianus Academicus, praesertim utilis illis sodalibus quorum familiae non habitant Bahiae.

Deputati reipublicae vota tulerunt in favorem congregationis academicae eique subsidia

annua circiter 27.000 lib. aur. attribuerunt; probabiliter alias gratias addent.

Praeses florentissimae congregationis ab anno 1917 est P. Aloisius Cabral, quondam praep. prov. Lusitaniae.

(V. Les Cahiers Notre-Dame, 1926, 360 ss.).

Aliquae quaestiones de indulgentiis.

Plures PP. de indulgentiis lucrandis quaerebant quibus hic simul satisfacimus.

1. *Omnes christifideles* indulgentiam plenariam lucrari possunt in locis ubi sodalitates erectae sunt, die festo tituli primarii et secundarii congregationis (vide Mullan, n. 2004). (Quoties haec festa fidelibus annuntiantur ?).

2. *Infirmis* sodalibus plenariam indulgentiam impertiri potest praeses (vide Mullan n. 1990). Quoad s. confessionem et communionem etiam hic vigent leges generales nostri temporis. Quum in decretis nulla restrictio facta sit, non apparet, cur *leviter* tantum aegrotis denegetur indulgentia, neque cur semel tantum detur. Nisi aliunde aliud praescriptum est, puto sufficere voluntatem praesidis verbis expressam, absque certa formula, ut infirmus eam lucrari possit. "Ante vel post recitationem praescriptarum orationum ,, : parum refert : indulgentia lucratur impletis conditionibus.

3. " Quasnam *preces in conventu hebdomadario* sodales necessario fundere debent, ut hic conventus revera ut talis valeat sensu stricto, etiam ad indulgentiam conventui adnexam lucrandam ? Puto, satis esse initio et in fine recitare Ave Maria et reliquum tempus consumere in conferentia et discussione v. g. de re apologetica, sociali... facienda ,,.

R. Talis conventus certo certius non est " devotio mariana ". Ave Maria etiam dici solet ante et post scholam : utrum ideo professores et discipuli hanc exercitium pium et devotionem marianam dixerint ?

Instituas tales conferentias, optime. Sed adiungas oportet vel praemittas, sive in sacello sive in cubiculo, aula... tot tantasque preces et cantus in honorem B. M. Virginis, ut ab omni homine catholico tamquam " devotio mariana " — mea pace *brevis* — agnoscatur. Superfluum est, singulas preces hic enumerare ; variae esse possunt.

4. " *Quoties* conventus fieri debent, ut lucrentur indulgentiae ? "

Responsum vide in A. O., I, p. 82.

De LUDIS IN CONGREGATIONE.

Pater quidam necesse omnino ducit, ut in Congregationibus adolescentium, maxime minorum natu, ludi adhibeantur. Probat hanc necessitatem sequenti ratiocinio :

" **Medium praecipuum bonae institutionis seu gubernationis iuvenum est bonum iucundum.**

" **Probo :** *Ad bonam institutionem praecipue necesse est conciliare sibi amorem iuvenis instituendi.*

" **Atqui** *ad conciliandum sibi amorem puerorum praecipuum medium est bonum iucundum.* **Ergo....**

„ **Probo Maiorem.** Maxime laudabilis hominum gubernatio ex tribus pendet capitibus : ex ratione, ex amore, ex reverentia.

" Homo enim intellectu praecipue et voluntate regitur, si humano modo regitur : intellectus autem rationum quae proponuntur momentis cedit, voluntas amore capitur, aut reverentia et timore impellitur.

" **At** adolescentes minus capaces sunt usus iudicii : amor autem efficacior et suavior est quam reverentia (amore enim trahitur puer, reverentia impellitur : at efficacius et suavius est trahere quam impellere).

" **Ergo** praecipue laudabilis iuvenum gubernatio seu institutio pendet ex amore ".

Iamvero efficax est ad gubernationem amor non rei ad quam impellimus (*nam* is sequi solet ex rationibus propositis et per discursum apprehensis, quod in pueris difficile est, ut diximus) sed ipsius gubernantis.

Est enim amor causa unionis voluntatum et qui amatur possidet quodammodo amantem; ita ut possit eum quocumque volet, flectere : quare qui hominem alterum efficaciter et suaviter gubernare volet, hoc inprimis curare debet ut ab eo ametur (hoc tamen propter Deum et ab omnibus aequaliter).

Ergo praecipue laudabilis iuvenum gubernatio pendet ex amore in ipsum gubernantem, hoc est, ad bonam gubernationem seu institutionem iuventutis necesse est praecipue conciliare sibi amorem iuvenis instituendi.

Probo minorem. Efficacissimum medium ad amorem aliorum sibi conciliandum est eos amare.

Amare **autem** duo continet :

primo quidem affici voluntate erga aliquem ;

deinde, quantum licet, procurare ei bonum.

Longe **autem** efficacius est ad conciliandum sibi amorem alicuius, desiderare illi et procurare aliqua bona : sic enim magis aperitur affectus.

Ergo procurare bonum alteri est medium praecipuum ad eius amorem sibi conciliandum.

Adolescentibus porro varia bona procurare possumus, imprimis vera bona atque adeo *honesta*, deinde *utilia*, denique *iucunda.*

" **At** illa aetate vix apprehendit bonum *honestum*, *utile* non tanti facit, sed capitur maxime *iucundo* : quo autem maiora sunt et excellentiora bona (saltem in apprehensione) quae procuramus, eo solet incendi magis eius in nos amor (hoc est, in donantem).

" **Ergo** bonum *iucundum* quo maxime capiuntur iuvenes erit excellentius bonum (in eorum apprehensione) quod proinde magis eos movebit ad amandum.

" **Ergo** bonum iucundum est medium praecipuum ad conciliandum sibi amorem iuvenum."

Huic ratiocinio antiquus "Aciei Ordinatae" Director sic respondet:

Ad propositionem ipsam respondeo *distinguendo:* Ludus debet pertinere ad essentialia et interna Congregationis iuvenum: *nego*; potest pertinere ad laudabilia opera extrinsecus et per accidens Congregationi adiuncta: *concedo.*

Ad rationem datam: "Medium praecipuum bonae institutionis seu gubernationis iuvenum est bonum iucundum", *distinguo:* bonum iucundum animae et corpori, *concedo*; solius corpori, *subdistinguo*: est medium praecipuum bonae educationis in genere spectatae, *concedo*, medium praecipuum bonae educationis quatenus a Congregatione fit, *iterum distinguo*: quatenus a Congregatione promoveri et extrinsecus ad eam addi potest, *concedo*, quatenus pars sit activitatis internae et specialis Sodalitatum, *nego.*

Et similiter distinguo omnes argumentationes subnexas.

Explico distinctiones.

Non est dubitandum quin ludus bene ordinatus plurimum conferre possit ad bonam educationem, in quantum viam aperit educatori ad animos iuvenum capessendos et conciliandos, occasionemque praebeat educatori bene cognoscere indolem et inclinationes iuvenum, influendique in eos, et retinendi eos a malis oblectamentis.

Quare nihil obstat, immo commendandum omnino videtur, ut etiam Director spiritualis et ipsa Congregatio promoveat ludum et honestas distractiones, maxime inter ipsos Sodales. Sic Sodales magis inter se connectuntur et a malis ludentium societatibus arcentur.

Sed duo sunt observanda. *Primo:* hoc medio educationis uti debent educatores generatim, non necessario Congregationis Director. E. g. in nostris Collegiis Praefecti et Magistri debent inprimis curare educationem in genere spectatam, Congregatio autem inprimis educationem spiritualem debet prosequi et in mente habere. Nemo vero dixerit: ludum esse medium praecipuum educationis spiritualis et sodalitiae qua talis. Congregatio ludo providere tum demum debet, ubi haec res ab aliis educatoribus neglegitur, vel sine debita cautela et promiscue cum iuvenibus qualibuscumque instituitur; ut fit saepe in Collegiis publicis. *Secundo:* aliud est, si Congregatio aliquid tanquam sibi extraneum et accidentale (etsi forte maximi momenti) sibi adiungit, vel etiam per separatam aliquam et parallelam organizationem colit; et aliud est, si id tamquam internum et essentiale medium ad proprios suos fines obtinendos respicit, e. g. Sectionem ad id instituens. Potest enim Congregatio optime providere non solum ludo, sed etiam (ubi de iuvenibus pauperibus agitur) victui, vestitui et habitationi Sodalium; potest habere e. g. apud adultos opera socialia sibi extrinsecus adnexa, puta cassam parsimoniae Sodalique reservatam, et similia; neque tamen ideo hae res fiunt actiones ipsius Sodalitatis internae; nam ad finem proprium et specialem Congregationis directe non conferunt. Finis enim et natura Congregationis est: pietatem colere Marianam, et inde ad sanctificationem sui et ad apostolatum insurgere.

Si ratio superius citata simpliciter et sine distinctione vera esset, absurda sequerentur. Nam tum etiam sic inferre possemus: Bonum iucundum est etiam illud: iuvenibus pauperibus victum et prandia praeparare; ergo Sodalitati inter pauperes iuvenes instituta proprium est cibum quaerere et porrigere. Apud adultos bonum iucundum est cartis ludere vel symposia facere; ergo Sodalitas habeat Sectionem cauponiarum. Quis hoc dixerit?

Attamen verissimum est et consideratione penitus dignum id quod in ratiocinio citato dicitur: bonum iucundum in tota educatione, proinde etiam in Congregatione esse medium praecipuum attrahendi animos et conciliandi. Dummodo id intelligatur de *bono iucundo Congregationi proprio* promovendo. Utique aurea haec regula est. Male enim fungeretur suo munere apud iuvenes et pueros Congregatio, si solis mediis honesti et utilis aut necessarii, seu mediis intellectualibus agere vellet. Et concedimus hac in re multos Directores peccare, neque animadvertere, sive apud adultos, sive maxime apud iuvenes, parum se effecturos, si semper tantum rationis dictamina et religionis officia proferant, neque curent vitam christianam et Sodalitiam hominibus etiam *dulcem atque iucundam* reddere. Quare optimus quisque rerum sodalitiarum magister id semper et vehementer inculcare Directoribus solet, ut in vita sodalitia etiam cor et affectum attingant sanctamque Marianae familiae laetitia sedulo ac sapienter promoveant. Necesse est Sodales cum gaudio venire ad omnes Congregationis conventus et actiones, amare Directorem, Praefectum, omnesque Sodales; cum gaudio suscipere opera Sodalitati propria. *Sed haec sancta laetitia in Congregatione mediis Sodalitati propriis est inprimis efficienda, non oblectamentis extraneis.* Curet Director ut Sodales B. Virginem revera adament et iam inde suavissimo gaudio in Congregatione perfundantur; curet ut amor virtutis et Ecclesiae, apostolicusque ardor ac desiderium eos, et ipsos etiam iuvenes ac pueros, accendant. Tunc habebit "bonum iucundum ac delectabile" Sodalitati proprium. Si vero ludis et fortasse (ut aliquo loco fit) saltationibus et choreis "bonum iucundum" eis dare vult, habebit utique gaudium *in* Sodalitate, sed non gaudium *de* Sodalitate. Nec tale gaudium multum proderit ad Sodalitatis sanctos fines adamandos.

Neque dicendum et iuvenes et pueros sancti huius gaudii incapaces esse. Ex usu et experimento loquor Aridas utique lectiones et exortationes iuvenes non amant. Sed si eis apposite et iucunde de rebus spiritualibus dicimus, si pulchritudinem virtutis exemplis aptis illustramus, si de amabilitate Christi et Mariae loquimur, si ad Ecclesiae defensionem eos excitamus, vituperia et persecutiones Ecclesiae eis ostendendo, si de animarum necessitatibus, de Missionibus etc. eos comiter instruimus: utique splendescunt oculi, accenduntur animi, excitantur sancta desideria. Crescitque gaudium Spiritus Sancti in ipsis iuvenum animis, si deinde apostolicis opusculis dant operam et laeti fructus suo labore carptos recensent.

Hanc sanctam laetitiam ubertim porrigit Congregatio, estque huic proprium et substantiale. Reliqua quoque, ut diximus, colenda sunt, sed magis accidentaliter et concomitanter, non tamquam interna Sodalitatis media.

Salvo meliore iudicio! A. Bangha S. I.

De variis Conventibus Maioribus.

Congressus congregationum virorum Coloniae Agrippinae, 10 et 11 Oct. 1926. — Ad celebrandum 350 anniversarium primae in Germania et quidem Coloniae Agr. (a P. Costero) fundatae congregationis, conventus congregationum virorum Germaniae occidentalis coactus est. Maximam partem duorum dierum circiter 250 sodales consumebant discutiendo quae sibi a viris peritis proponebantur. Noster P. Böminghaus profunde monstravit quomodo congregatio praecise qua mariana ad executionem voti Pii XI. circa regnum Christi quasi intimis suis visceribus impellitur et cogitur; testem quoque historiam congregationis adscivit. Parochus quidam optime ex propria experientia sodalibus ostendit viam et methodum apostolatus in parochia. P. Horstmann S. I. ferventissimo sermone auditores suos ad solidam activitatem marianam in genere et praesertim pro missionibus exteris instigavit. De missione interna, i. e. de reconciliatione haereticorum cum S. Matre Ecclesia, Pater quidam ex Ordine Fr. Minorum disseruit. Parochus Dr. Könn perbelle B. Virginem viris ante oculos posuit ut optimum auxilium in necessitudinibus nostri temporis, praesertim in angustiis religiosis, socialibus, moralibus. Capellanus aliquis tandem de congregatione ut de magna familia locutus est et postulavit maiora sodalium comitia annua.

In Ecclesia Cathedrali primo noster P. Nötges ad ingentem virorum numerum aptissimum sermonem fecit: Maria, congregationis regina, dux ad regem Christum; tunc ipse Card. Dr. Schulte viros ad fidem et fidelitatem commonuit. Vespere sodalis, vir doctus, explanavit historiam apostolatus congregationum virorum praesertim Coloniae; et Episcopus Oenipontanus cum 2500 sodalibus viris quadantenus conscientiam examinavit, quaerendo: quid tibi est mater tua? quid es tu uxori tuae? quid filiis tuis? ita renovationem familiae intendendo.

Optimos fructus sperare licet ex hoc conventu quem optime praeparaverat noster P. Kettenmeyer.

Congressus congregationum Tortosae in Hispania. Eodem die quo Coloniae, etiam Tortosae sodales circiter 2000 convenerunt. Communionem generalem celebravere; in manus episcopi spopondere maximum fervorem pro dogmatisatione assumptionis B. M. V. in coelum, mediatricis omnium gratiarum; laici sermonem fecere de opere catechisandi et de congregatione; de salvanda iuventute per congregationem quae efformare debet viros crastini diei tamquam viros "idealium" caracteris et fidei firmae. Quos in schola B. V. Mariae formari demonstravit P. Director Congregationis Barcinonensis, optime resumendo: iuvenes aut servi sensualismi aut servi sunt Mariae. Cardinalis Tarragonensis Dr. Vidal y Barraquer pulchre elogium fecit populi Tortosani. Processio fere duas horas insumebat. Laudatur in hoc congressu inter alia: diligentia qua omnes ad tempus omni exercitio adsistebant; exactitudo et promptitudo mathematica qua omnia exercitia coepta sunt momento indicto; amabilissima hospitalitas erga sodales externos.

Praesides hac occasione congregati consilium inierunt condendi congregationes marianas in omnibus parochiis, si fieri potest; et quidem incipiendo cum pueris; constituatur « manus volans », providens erectioni congregationum in omnibus vicis; erigatur secretariatus et unio dioecesana (v. Iuventus, Barcelona 1926, p. 410 s.).

6000 sodales studiosi *basco-navarrenses* quoque congressum instituerunt die 10 Octobris et quidem Loyolae. Ipse episcopus Pampelunensis elogium ex pulpito sacro dixit congregationis, altos huius fines religiosos et sociales demonstrans. Ob temporis adversitatem conventus publicus fieri non potuit. Directores unanimes consilium ceperunt progressum unionis basco-navarrensis omni conatu accelerandi et iterum Bilbao consedendi proximo Ianuario.

Congressus Congregationum Viennae in Austria.

Die 14. XI. in maxima urbis aula confluxerunt plusquam 1600 sodales utriusque sexus omnis conditionis et aetatis exceptis pueris, ut finem imponerent solemnem consultationibus suis; die etenim 12. praecesserant conventus variarum congregationis specierum (Gruppensodalentage), v. g. mulierum, virginum, studiosorum, ubi de necessitudinibus maxime nunc urgentibus agebatur.

In solemni tunc congressu cui multi ex primis viris reipublicae, ut ex. gr. minister cultus et instructionis publicae, interfuerunt, canonicus praeses dioecesanus congaegationum, inter alia verba fecit de numero et labore sodalium istius urbis. Exclusis pueris numerantur plusquam 25.000 in 326 congregationibus adunati. P. Pangerl S. I. Mariam sequestram gratiarum dilucide nitidissimisque verbis auditoribus monstravit; dominus aliquis vero sodales denuo inflammavit pro apostolatu, imprimis commendans curam iuventutis, erigenda sanctuaria in suburbano, prelum. Quae omnia item sodalibus maxime applaudentibus urgebat Em. Card. Dr. Piffl, omnes instanter evocans ad apostolicam actionem et activitatem. Summo Pontifici obsequium filialis pietatis per telegramma obtulerunt.

Duo Congressus sodalium scholarum mediarum.

Die 30 maii circiter 300 delegati congregationum studiosorum *Viennae* (in Austria) et in Austria inferiore convenerunt nostro P. *Mühlleitner* duce in aedem ad St. Gabrielem, Patrum S. V. D., prope Viennam. Egerunt in consultationibus communibus de conventibus ordinariis: quantum fieri potest, octavo quoque die fiant, et preces dicendae ne multum varientur, sed generatim eaedem semper maneant. Praeterea instituantur alii conventus extra sanctuarium, ubi de missionibus, litteris, apologia, arte... agatur. Singulae congregationes cum vicinis collaborent. Absolutis studiis mediis congregationem academicorum ingrediantur sodales. Quamplurimi mense decembris Romam peregrinentur ad festa Aloysiana quae etiam domi solemniter peragantur.

Conlegae 600 in *Bavaria* diebus 17-19 Iulii adcurrerunt ad sanctuarium celeberrimum Altötting, ubi de regno Christi inter paganos extendendo egerunt. Viri in re doctissimi et diuturna experientia ornati sodalibus duces erant in re missionaria. Cum Director instituti Wirceburgensis medicorum pro missionibus de necessitate medicorum in missionibus et de eorum laboribus, tum aliquis Praefectus Apostolicus apud Indos Americae de vocatione, gaudiis, difficultate missionariorum tam bene lo-

cuti sunt, ut spes sit aliquos sodales ad alterutrum opus praestandum consilia inivisse. Alii oratores vario modo animis studiosorum inculcabant ecessitudinem et s| lendorem operis missionum, inter alia explicando Encyclicam Pii XI circa Missiones exteras.

Sodales hi in Bavaria iam ab aliquibus annis foe- erationem inierunt cuius dux egregius est P. Ingbertus *Naab*, O. Cap. (Vide Unsere Fahne, Viennae 17. an., pp. 6 ss. 30 ss.).

(Haec methodus optima esse videtur vocationi ad missionem quasi viam sternendi et omnino commendari debet. In collegiis nostris facillima est, etsi non statim per tres dies fit. Utique, initiis his positis, vocationis germen et zelus pro missionibus in genere diligenter et perseveranter excolantur oportet. Editor).

Congressus PP. Praesidum provinciae Columbiae.

Ante festum Immaculatae Conceptionis 1925, in collegio Medelin coadunati, inter alia haec consilia inierunt.

1. Magna cum sollicitudine boni directores congregationis educandi. Ad quod multum faciet, ut libri et periodici, praesertim Acies O. ad manum sint, et ut scholastici academias de congregatione agentes instituant.

2. Omnis sodalis libellum regularum vel, quod melius est, librum manualem congregationis die admissionis accipiat.

3. Praesentia in conventibus urgenda est.

4. Praeses vir Dei sit, plenus teneri amoris erga B. M. Virginem persuasum habens, suum hunc amorem mensuram dare amori sodalium.

5. Director in sodalibus respectum humanum exstirpat.

6. Instituendae sectiones et academiae quae multum conferunt ad excitandam vitam et activitatem; etsi loquacitas hic vitanda est, discussio et disputatio utilissima erit.

7. Ex variis rationibus juvabit habere sodales honorarios et protectores.

8. Fundandae sunt congregationes studiosorum universitatis et in genere iuvenum qui " scholas medias » absolverunt; secus aliter ipsis providendum.

9. Qua in re quin confundantur, associatio nes alumnorum pristinorum multae utilitatis erunt.

10. Strenue quoque adlaborandum est, ut erigantur sodalitates dominorum et operariorum; medium ad hunc finem peraptum sunt recollectiones menstruae. Item verbo et opere multum iuvare possunt ad hunc scopum congregationes mulierum.

11. Congregationes mulierum cotannis ad exercitia « clausa » ducantur; sed instigandae quoque ad opera charitatis, ut est instructio catechetica, praeparatio puellarum pauperum ad primam communionem, organizando bellum contra mores inhonestos, promovendo exercitia...

12. Conventus sodalium saltem bis per mensem fiat; et in eo aliqua varietas habeatur, ut magis placeat. Ita festa non sunt facile augenda, sed usitata pulchriora et gratiora reddenda.

13. Sectiones recreativae et ludorum non ut finis primarius congregationis considerentur.

14. Acceleretur dies fundationis foederationis nationalis congregationum virorum quae tunc se coniungat cum unioni latino-americanae et hispanicae.

Ad quem finem: a) ante omnia in urbe Bogota « congregatio exemplaris » fiat cui aliae tunc sese adiungant; b) adlaborandum ut numerus congregationum virorum augeatur, non solum ubi Societas domum habet, sed ubique; quem in finem multum facere possumus tradendo exercitia vel missiones, et opuscula diffundendo: c) ephemeris mariana in lucem prodeat, si fieri potest; interim pars Nuntii Ss. Cordis huic scopo inserviat; d) approbantibus episcopis congressus generalis directorum congregationum foederationem proclamet. (Noticias de la Provincia de Colombia, 1926, febrero a mayo, p. 2 ss).

De aliquibus deliberatis congressus PP. Praesidum ex provinciis S. I. in St. U. Americae sept., diebus 25-26 VIII 1926 habiti in urbe Chicago.

1) Uniones congregationum promovendae. In unaquaque schola vel parochia constituatur pro rebus communibus consilium generale. Etiam aliae scholae invitari possunt ad formandum tale consilium. Ubi fieri quit, etiam consilia totius urbis vel dioeceseos constituantur.

2) Congressus unus sodalium studiosorum, alter congregationum parochialium fiat anno 1927.

3) Varietas in conventibus desideratur ita ut alternantes sint conventus tractantes de rebus spiritualibus, de re sociali ...; et in rebus spiritualibus ipsis varietas delectabit. Sodalibus in his conventibus amplae agendi partes relinquantur.

4) A sodalitatibus scholarium saltem semel per mensem fiat communio generalis; optimum est, si unaquaque hebdomada fit.

5) Scholastici eximie educationem alumnorum nostrorum promovere possunt exemplo, inspiratione, adhortatione; at, praesides esse nequeunt secundum regulas generales congregationis. Si alicubi nemo alius adesset qui dirigeret congregationem, scholasticus moderator esse posset duce aliquo ex Patribus qui esset praeses. Data peculiari occasione scholastici invitari possunt ad verba facienda coram sodalibus.

6) Crucigeri pro missionibus exteris et Equites Ss. Sacramenti ita organisentur ut sint sectiones congregationis quae tamen etiam alios alumnos admittant.

7) Praeses congregationis plerumque sit pater spiritualis puerorum propter eminens momentum sodalitatis pro profectu puerorum spirituali; inde hic pater non sit magister.

8) Ad munera maioris momenti vel honoris tum in parochia tum in collegio ante omnes alios sodales vocentur.

9) Praesides scholarum curare debent, ut sodales comode S. Communionem recipere possint cotidie.

10) Sodalium conventus hebdomadarii in nostris collegiis ne fiant ad finem diei quo scholae ordinariae habentur: quia et praeses et sodales defatigati male ad conventum dispositi sunt.

11) Quidcunque tribuit ad promovendas vocationes approbatur. Practice executioni mandentur haec: *a*) in unaquaque provincia designandus est Pater magnae experientiae et facultatis loquendi cum enthusiasmo de bono vocationis qui in omnibus nostris scholis sermonem faciat hac de re; neque facile mutetur. Dum in aliquo collegio versatur, incitet studiosos ad offerendas multas

missas, communiones aliasque orationes ut exsurgant vocationes.

c) P. Spiritualis et Praeses congregationis omni conatu sustentet hunc P. Promotorem vocationum, et saepe pulchritudinem etc. vitae religiosae depingat.

Vocatio ad Societatem inprimis intenditur; sed finis huius operis in genere est vocatio ad sacerdotium.

d) Inter ipsos sodales aliqui eligantur qui constituant quasi " sectionem pro vocationibus „ quique orent, studeant rebus sacerdotalibus et religiosis, de his quoque scribant et loquantur conlegis suis.

11) PP. congregati opus quod Acies Ordinata intendit approbant et adiumentum promittunt ut continuetur. (Editores A. O. laeto animo gratias agunt).

13) Perfecta cooperatio superiorum et scholarum et parochiarum cum directoribus congregationum urgetur, ut, quod nunc maxime necessarium est, congregatio in scholis vel paroeciis validissima organisatio evadat.

14) Omnes PP. Directores praesentes constituun associationem cui nomen: Associatio praesidum e S. I. congregationum marianarum in America; et omnes alii praesides ex Nostris in America invitantur, ut et ipsi nomen dent. Associati, si ita RR. PP. Provincialibus placuerit, congredientur unoquoque anno; et quisque cotannis solvet 2 dollar.

15) PP. Directores praesentes alte confitentur fidem suam in Congregationem utpote expressionem devotionis Societatis in B. Virginem et organisationem aptissimam in necessitudinibus et problematibus parochiarum et collegiorum.

(Liceat RR. PP. modeste, sed ex intimo animo gratulari ob optima consilia quae ceperunt et praesertim ob principium quod n° 15 enuntiabant. Quae executioni strenue mandata, mox uberem laetissimumque fructum afferrent. Editor A. O.).

INSTRUCTIONES JUNIORIBUS FACIENDAE.

A) De ipsa congregatione: quid est et quid vult.

1. Cur ingressus es congregationem? Ut magis ames B. Virginem, melior evadas, bono exemplo luceas.

2. Quid tibi congregatio iniungit? Honorem, amorem, imitationem Matris; sanctificationem tuam; procurationem salutis proximi oratione, exemplo, zelo tuo.

3. Qualem utilitatem ex congregatione hauries? *a*) Gratias ex oratione tum propria, tum communi; *b*) uberem fructum devotionis erga B. V.; *c*) praemium in coelo.

ad *b*) Maria mater tua: optima, potentissima, ditissima.

4. Quomodo sodalis efficieris? Admissione per praesidem. Caeremoniae admissionis: *a*) formula dedicationis; *b*) numisma; *c*) diploma.

5. Quaenam orationes in conventibus congregationis ut plurimum recitantur? *a*) Invocatio S. Spiritus. (Quis est Spiritus S.? Quidnam in anima nostra, quomodo operatur?); *b*) Litaniae lauretanae (Explicandae invocationes minus obviae; et istud fortissimum " ora pro nobis "); *c*) 3 Antiph: Salve Regina, Sub tuum praesidium, Memorare; *d*) Ave Maria (explicetur aeque ac tessera sodalium: nos cum prole pia...).

6. Quid a congregatis cantatur? Aliqua ex pulcherrimis canticis in hon. B. V., Ss. Ss....

7. Quinam sunt patroni secundarii congregationis? S. Aloisius, I. Berchmans, Stanislaus, S. Agnes...

8. Quomodo congregatio annum sanctificat? Festis liturgicis et sodalitatis.

9. Pro quibus orant sodales? Pro seipsis, tota congregatione, absentibus, praesertim infirmis et defunctis sodalibus, benefactoribus.

10. Quidnam altare congregationis docet? Imago, decor, candelae. An etiam domi habes et ornas altare vel imaginem B. V.?

11. Praesentia in conventibus: fidelis, ad tempus (tardius ne venias!), libenter; excusatio et explicatio si impeditus fueris.

12. Quomodo se gerit sodalis in conventibus? Pius, silens, ex toto animo cum amore magno participans.

13. Quid significat consecratio? *a*) Est oratio precatoria; adhortatio; tutela cotidiana; *b*) scripto traditur indissolubilis in aeternum.

14. Quid significat candela quam manu tenes in actu consecrationis? Fidem in Christum et in coelum; lampadem lucentem animae prudentis.

15. Quid est liber manualis congregationis? Memoriale huius pulchri diei (admissionis); et librum vitae in memoriam revocat.

16. Quid significat numisma congregationis? Monstrat imaginem Matris tuae et... (2i patroni); inscriptio; numisma est admonitio, benedictio, protectio. Taenia significat vinculum inter te et Matrem tuam; color (caeruleus): puritatem animi.

17. Quid est diploma? Firma et pulchra expressio et confirmatio voluntatis tuae et congregationis; decor vitae, domus.

18. Quid tibi inculcare vult congregationis vexillum? Vocare et comitari te ad orationem, ad vitam pacificam et felicem, ad fidelitatem. Et est ornamentum: ob imaginem B. Virginis et Sancti... Tandem est imago vitae humanae: dicit pugnam et victoriam.

19. Quandonam congregatio in publicum prodit? Quando pietas, aedificatio, zelus animarum id postulat.

Addi potest explanatio sectionum: cuius generis et quot sint; quid velint quibusque mediis.

B) De S. Aloysio.

Servire est regnare: vir obediens loquetur victorias.

1. Praestantia obedientiae.

2. Obedientia S. Aloysii (vide biographos).

3. Haec obedientia emanavit ex vivida fide.

4. Obiectiones modernae contra obedientiam repellantur.

5. Exhortatio ad obedientiam in imitatione Christi qui obedientia sua salvavit mundum et glorificavit seipsum.

(Vide: Sedes Sapientiae, Brugis (in Belgio), 1926, p. 152-160).

Epitome bonorum Operum quae a sodalibus fieri solent.

1. Feria sexta jejunare, vel Sabbatho.
2. Carnem suam verberibus incussis affligere; cilicinam vestem, vel cingulum gestare.
3. Duriore lecto, vel culcitra, cubare.
4. Expansis brachiis orare.
5. Sanctorum Sepulchra devote visitare, & Templa.
6. Quotidie Sacro reverenter adesse. Recitare Rosarium Deiparae, & Officium de Immaculata Conceptione.
7. Diebus Dominicis, & Festis geminum Sacrum audire. Concioni, & piis lectionibus operam dare. Officium majus B. Virginis recitare.
8. Ex SS. Menstruis, & Patronis Lytanias concinnare, quotidie recitare.
9. Ad peccatoris alicujus conversionem ope, vel consilio juvare.
10. Cum primum lapsus fueris in peccatum, poenam decernere, & exequi. Actum Contritionis interdiu saepe dicere, maxime in periculis.
11. Pro peccatorum & haereticorum conversione ferventer orare.
12. Alios ad bona opera, praesertim Confessionem, & Communionem allicere.
13. Bona colloquia miscere, mala impedire.
14. Corrigere errantes, maxime blasphemos, & turpiloquos. Eorum correctionem procurare, illos manifestando Superioribus.
15. Absentium famam tueri.
16. Eucharistiam visitare, & cum circumfertur, devote comitari, deducere ad aegros &c.
17. Examini particulari studere. Seipsum vincere, etiam in rebus parvis.
18. Facile ignoscere laedentibus, & pro iis orare.
19. Pro fidelibus defunctis Orationem, Sacrificia, Eleemosinas facere, vel procurare. Indulgentias applicare, obeundo Communionem generalem.
20. Orare mane, & vesperi: diligenter conscientiam examinare modis praescriptis.
21. Frequenter confiteri, communicare, libellos pios lectitare; praecipue Thomam de Kempis de Imitatione Christi.
22. Temporibus, quibus alii magis peccare solent, ferventius, & diutius orationi, & piis exercitiis vacare.
23. Rudes docere articulos fidei, modum confitendi, communicandi, colendi Sanctos, orandi Rosarium &c.
24. Visitare aegrotos: pauperes consolari, & opem ferre pro cujusque viribus, prece, vel stipe.
25. A faeminarum, ac puellarum aspectu, & consortio cavere.
26. Frequenter uti orationibus jaculatoriis.
27. Ad horae pulsum DEUM, Deiparam, Salutatione Angelica, Angelum Custodem &c. venerari.
28. Sub sacro communicare spiritualiter.
29. Castitati, ceu virtuti propriae Sodalium, cumprimis studere, & contra tentationes imitari aliqua facta heroica Sanctorum, & alia remedia adhibere.
30. Studere Indulgentias lucrari, tum proprias Sodalibus, tum Stationum plenarias, & non plenarias: sicut & illas, quibus animae in Purgatorio juvantur.

Vide: Leges et statuta... Congregationis B. V. Mariae quae in Collegiis Societatis Iesu instituta... Ingolstadii, et Augustae Vindel. Impensis I. F. H. Grätz. Anno 1760; p. 213 ss.).

VARIA

Musaeo secretariatus generalis congregationum A. R. P. N. dono dedit devotissimum signum pietatis filialis quod a P. Mart. Lonneux, Sup. dom. S. Mariae in Missione Alaskae Borealis acceperat. Puellae congregationis Akulurak proprie manibus libellum lingua anglica conscripserunt singulas P. Praesidis exhortationes breviter repetentes et involucro ex pelle alcina (moose-hide) confecto et nitide exornato circumdantes. Quo denuo probatur quomodo missionarii nostri ubique terrarum ad profectum indigenarum in pietate, litteris, industria promovendum adlaborant idque non absque bono fructu.

Universitas Nostrorum *Tokiensis* in Iaponia quantis prematur angustiis notum est omnibus. Cum hoc opus maximi momenti sit pro propagatione et defensione fidei, etiam A. O. omnes congregationum praesides rogat, ut sodalibus aliqua narrent eorum quae nuper in omnibus domibus Societatis de historia et difficultatibus scholae lecta sunt. Sodales talia libenter audiunt et curam hanc gravissimam Societatis sublevare studebunt saltem precibus.

Gratissimus vobis, RR. PP., erat **elenchus** sodalium beatorum et sanctorum, a P. Augustino Lamprecht, Super. resid. Graecensis in Styria confectus. Auctor putat, inter Beatos et Sanctos — non solum e nostra Societate — probabilissime alios esse sodales marianos, praesertim inter eos qui ortum duxerunt ex Anglia, Gallia,

Hispania, Italia, Iaponia, Lusitania. Quare rogamus omnes directores, ut nobiscum communicent, siquid occurrerit quod ad rem facit.

B. Ludovicus Iosephus François, C. M., fuitne sodalis? Erat alumnus collegii nostri Cateau-Cambresis. Et Paulina Iaricot?

Etiam *Amstelodami* viri sodales quinque lustra ad congregationem pertinentes numismate argenteo honcrantur (Omhoog, 1926, p. 173).

Ephemeridibus congregationum die 15 Augusti h. a. novam adiunxit P. Leopoldus van Rijckeveorsel S. I. Moentilan, benigna iavanensi conscriptam cui titulus. *Poesara Dewi Marjah* (associatio mariana). (Omhoog, 1926, p. 174) Proficiat!

Sodales studiosi *Zaragozae* die 21 Nov. hora 8 ad missam et communionem generalem, h. 10 ad missam solemnem convenerunt ubi, contione 50 minutarum facta, singuli sodales ad altare maius accedentes spoponderunt se defensuros esse B. Virginem Mariam in coelum assumptam et universalem mediatricem esse. Missa finem habuit post horam primam.

Opere congregationum dominorum dominarumque urbis *Bucaramanga* (Columbia) fundatum est *orphanotrodhium* cum scholiis propriis. (Noticias de la Provincia de Colombia, febrero a mayo 1926, p. 10).

Nonobstante infensissimae persecutionis Ecclesiae, *Congregatio B. M. V. Guadalupensis* in urbe *Mexico* et Secretariatus nationalis congreg. mex. ad festa in hon. S. Aloysii delegationem Romam mittent saltem aliquorum dominorum. Pulcherrimum signum spiritus magnanimitatis et fidelitatis Eccl. Mexicanae, Sodalium in specie.

DESIDERATA ET VOTA A. O.

Libenter desideriis plurium Patrum satisfaciemus, in antecessum *allocutiones* variis festis tum liturgicis tum congregationis adaptatas edendo in A. O., si praesides tales vel alios sermones ad sodales habendos nobis mittunt. Multis Patribus sine dubio tales contiones exoptatissimae venient, si saltem summas res attingunt.

Enixe rogamus, ut epistulae quae ad **redactionem** A. O. spectant, itemque periodica et ephemerides dirigantur ad Editorem A. O., tacito eius nomine, Roma 30, Via S. Nicola da Tolentino 8.

Novae domus, novi praesides saepe ad nostrum secretariatum scribunt, petentes omnes omnino numeros iam in lucem editos ephemeridis nostrae A. O. Sed proh dolor! ipsi secretariatui desunt varii numeri, praesertim illi mensis Ianuarii, Februarii, Martii 1926. Quapropter ab omnibus directoribus congregationum et praesertim a bibliothecariis *instantissime* petimus, ut illos et alios numeros omnes quos poterunt ad nos *quam primum* mittant, praemium accepturi pro hoc opere zeli et charitatis fraternae a Virgine illa quae S. testante Spiritu, similis est Aciei Ordinatae.

Romae, (9), Via Ripetta 246.

Administrator A. O.

Et aliud est quod omnibus commendatum valde desideramus. Ipsi scitis, RR. PP., sumptuosum esse milites armare, aciem instruere. Sumptuosum etiam est, *nostram* quoque Aciem Ordinatam instruere, *nostros* milites, tum manipulares tum praepositos, unoquoque mense bene armatos vobis praesentare. Amice ergo velitis omnes, in quantum poteritis, sumptus nostrae rei militaris praestare, ut typographus milites nostros nigros pulchro ordine compositos coadunare possit et ut Acies nostra magis magisque conferat a. m. D. g. et B. V. M. h.

Tandem rogamus Patres per diversas provincias secretarios congregationum, ut " statisticam „ et saltem brevem relationem de statu congregationum cum nostrarum, tum aliarum si fieri potest; itemque numerum eorum qui foliis congregationis subscribunt nobis mittant usque ad finem mensis ianuarii 1927 (cf. A. O., II, p. 38). Aeque iucundum et utile opus perficient tum editores nuntiorum singulorum provinciarum S. I. qui haec folia nobis mittent, tum editores ephimeridum vel librorum de B. V. et biographi directorum congregationum.

TELEPHONIUM EDITORIS

Multas gratias pro obolo *P. C. E., Algasing*, M. 5. — *P. I.* De " filiabus Mariae „ et similibus actum est in A. O. I, pp. 77; 83; 95; et in Congressu Directorum, Romae a. 1922 habito; vide eius Acta. p. 88.

P. R. U. De relatione inter congregationem et tertium Ordinem cf. *Acta Conferentiarum*, Roma, 1922, p. 86 s. — *P. B. D.* Fortiter impugnanda est sententia intolerabilis, congregationem marianam obsoletam esse saeculo xx. Id qui dixerit aut experientia aut notione clara congregationis caret. Congregatio sanctificationem membrorum suorum et apostolatum intendit; et ita " aliqua ratione imbuta est Spiritu Societatis," ut expressis verbis enuntiavit A. R. P. N. in conventu directorum Romam coacto a. 1922. Unde quaero: quid est obsoletum? Eximia devotio erga B. V. Mariam? Studium perfectionis? Spiritus et opera apostolatus? Regimen monarchico-hierarchicum? Haec omnia tamen sunt omnino catholica. Quare saltem nos e S. I. perpendamus, quod P. Generalis in epistola 25. ianuarii 1924 (*Acies Ordinata*, I, p. 1) scripsit: congregationem marianam esse " ex illis operibus, quae... *nostris* temporibus plurimum ad Dei gloriam, Ecclesiae decus, salutem animarum conferre possunt." — *P. H. L.* Sodales qui signa postalia Missionum iuvandarum causa colligunt et cum aliis mutuum commercium inire volunt, scribant ad P. Carolum Schoonjans, S. I., Liège (in Belgio), Collège St. Servais, Rue St. Gilles; vel: Missionsbund, Linz a. D. (in Austria), Collegium Aloysianum; Freinberg. — *P. I. R., B.* De re-electione officialium vide *A. O.*, I, p. 83.

Index rerum A. O. in manibus est.

Editor: *Albertus Boegle S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50-A